


Zur  
Gräfl.vom Hagen'schen

Majorats - Bibliothek



MÖCKERN

gehörig

N<sup>o</sup> 1415

21  
we

18

I O. G E O R G I I E S T O R  
CONSIL. AVLICI SAX. PROF. IUR. ORD. TRIBVNALIS SERENISS.  
SAXONIAE DVCVM QVOD IENAE EST FAC. ICTORVM  
ITEMQVE SCABIN. COLLEGII ASSESSORIS


C O M M E N T A T I O  
D E  
I V R E E X C L V S I V A E  
V T A P P E L L A N T  
Q V O  
C A E S A R A V G V S T V S  
V T I P O T E S T Q V V M P A T R E S P V R P V R A T I  
I N C R E A N D O P O N T I F I C E S V N T  
O C C V P A T I.




---

I E N A E  
E X O F F I C I N A R I T T E R I A N A  
A . O . R . C I D I C C X K K X .

LOOSE  
COMMISSION  
LITIGATION  
IN THE  
COURT OF COMMONS  
IN THE  
MATTER OF  
THE  
ESTATE OF  
THE  
LORDS





§. I.

x conclavi, quod adhuc romae congregatum est, ad eligendum pontificem, occasionem petiui, paucis agendi de iure caesaris circa exclusuam, quippe cuius vocis frequens est vsus hoc tempore, licet eius vis et potestas non adeo omnibus sit rite cognita atque probe perspecta,

§. II.

Exclusuam igitur voco praecipuum imperatoris romani, quo hic, tanquam aduocatus ecclesiae candidatum pontificatus debito tempore parum idoneum potest declarare,

§. III.

Quiuis primo obtutu animaduertit, mihi hoc loco non esse sermonem de exclusiua, vt vocant, qua inter se vtuntur cardinales,

pontificem electuri. Enimvero haec notat determinatum numerum suffragiorum, ne quis ad fastigium pontificatus ascendat. Verbi gratia, si singas, conclaue complecti quinquaginta duos cardinales; tum decem et octo suffragia, contra aliquem in scrutinio lata, efficere possunt, ne hic nanciscatur coronam pontificalem; sin de adoratione sit sermo, e LII. cardinalium suffragiis septemdecim sufficiunt ad excludendum aliquem ex ordine dignitatis pontificiae candidatorum. Haec autem exclusiua ita vocari solet per oppositionem inclusiuae, quippe quae dicitur adesse, si quis per scrutinium nactus fuerit suffragia triginta et quinque, triginta contra ac sex per adorationem.

#### §. IV.

Verum enim vero ad caesaris augusti exclusiuam, vt vocant, redeo, atque illam praecipuum ideo adpello, quia ista caesari non tanquam regi potentissimo, sed quatenus aduocatus est ecclesiae romanae, competit. Intuitu candidati pontificalis honoris hoc ius caesar exercet, quoniam alius, qui non est cardi-

cardinalis, etiam creari potest pontifex, teste  
 P. FRANCISCO SCHMIER in *iurisprudencia ca-*  
*nonico ciuili* libro I. tractatu III. capite I. sectio-  
 ne VI. n. 662. p. 303. cum quo facit IACO-  
 BVS COHELLIVS in *notitia cardinalatus* capi-  
 te XVI. priuilegio I. p. 156., qui tamen existi-  
 mat, eiusmodi electum per cardinales ordi-  
 ni horum prius adscribendum esse, ob cano-  
 nem III. distinctione LXXIX.

## §. V.

Debito tempore uti solet imperator hac  
 praerogatiua, id est nondum publicatis suf-  
 fragiis, quum alias candidatus ius quaesitum  
 fuisset adeptus, prout docet caput LVIII. X. *de*  
*electione et electi potestate*. Minus aptum declarat  
 candidatum, atque, se nec velle nec posse  
 hunc habere in numero legitimorum ponti-  
 ficum, significat imperator.

## §. VI.

Cuncta, quae modo dixi, ut fiant clariora,  
 obserues, velim, quod caesar hac praeroga-  
 tiua gaudeat tanquam aduocatus ecclesiae  
 romanae. Haec sententia est ipsius caesaris,  
 quam comprobant complures legatorum



caesareorum orationes, ad purpuratos patres habitae. Lege cum primis cardinalis ab Althan sermonem, quem anno c1010ccxxi. adposite dixit ad senatum purpuratum. Ex eadem caussa orator caesaris cardinales reddidit certiores, quod his praesidio is sit futurus, ac defensionem eorum velit suscipere.

§. VII.

Primus, qui e francorum gente defensionem ecclesiae romanae in se suscepit, est Pipinus brevis, Caroli magni pater. Is enim, huiusque, quem dixi filius, sub nomine patricii obtinuerunt romanae ecclesiae patrocinium in urbem romam. Testis omni exceptione maior est canon xxii. distinctione lxxiii., cuius rei veritatem ipse, licet repugnanter, agnouit EVGENIVS LOMBARDVS, i. e. cardinalis COELESTINVS SFONDRATVS *de regali sacerdotio, romano pontifici asserto*, libro i. propositione i. §. v. n. 5. p. 328. *bibliothecae maximae pontificiae collectore* Fr. IOAN. THOMA DE ROCABERTI tomo xi.

§. VIII.

Nihil noui hoc erat, quod adeptus fuerat  
Pipinus,



Pipinus, siquidem fide monumentorum historicorum constat, quod imperatores cum romani, tum byzantini, alique reges, praerogatiua quadam fuerint gauisi intuitu deligendi pontificis. Etenim, Valentiniano imperante, praefectus vrbis Damasum pontificem auctoritate sua firmavit ob iusta veritatis suffragia, vt loquitur AMMIANVS MARCELLINVS libro XXVIII. capite III.

## §. IX.

Honorius imperator, quid iuris sit de dubia pontificis electione, disertis verbis constituit, id quod liquet e canone VIII. distinctione LXXIX, atque e CAESARIS BARONII *annalibus ecclesiasticis* ad annum CCCCXVIII. sq. Vt iam non dicam de aliis, quae commemorat PETRVS DE MARCA *de concordia sacerdotii et imperii* libro VIII. capite IX. §. IX. p. II40. Immo probatum dedit IO. GE. AB ECKHART *in commentariis de rebus franciae orientalis* tomo II. p. 127. 190. 216. 372. sq. 389. sq. 435. et 584. quod pontifices non ante inaugurauerit clerus, quam caesar eorum electionem confirmasset.

## §. X. Odo-

§. X.  
 Odoacer ipse, rex ostrogothorum, etiam si  
 aliam, quam pontifex coleret religionem,  
 suum ius circa electionem pontificis strenue  
 vindicauit, vteste CAESARE BARONIO l. c.  
 numero x. De Theodorico rege perhibet  
 ANASTASIUS in *vita Symmachi* p. 84. editio-  
 nis romanae, quod ille iusserit, vt Symma-  
 chus ac Laurentius, pontificalis dignitatis  
 candidati, rauennam ad se peruenirent.  
 Compara LVITPRANDVM ticinensem dia-  
 conum in *libro de pontificum romanorum vitis*  
 p. 238. editionis antuerpiensis, et MAGNI  
 AVRELI CASSIODORI *variarum* librum VIII.  
 epistola xv.

§. XI.  
 Athalarici et Theodehati, regum iura  
 circa electionem pontificis perspicua sunt,  
 et quasi oculis iudicari possunt. Testantur,  
 quae dixi, monimenta publica, quae hac de  
 materia leguntur apud CASSIODORVM *va-*  
*riarum* libro I. epistola VI, 30. libro II. episto-  
 la XVI, 24. libro III. epistola XII. libro VIII.  
 epistola I. II. III. IV. libro IX. epistola XV. XIX.  
 libro X. epistola IV. XII. XVI.

§. XII.

## §. XII.

Posteaquam Belisarius romam expugnasset, non potuit pontifex, quin confirmationem suae dignitatis peteret ab imperatore constantinopolitano, prout docuit P. IOAN. MABILLON in *commentario in ordinem romanum* §. XVII.

## §. XIII.

Cuncta haec ex instituto insigni eruditionis adparatu luculentissime confirmavit dn. ERNESTVS SALOMO CYPRIAN, in *senatu sacro, qui gothae est, praefes vicarius grauiissimus, in der überzeugenden belehrung vom ursprung und wachsthum des pabstthums* capite XII. p. 326-351. Euolue pariter viri celeberrimi dn. IOANNIS IACOBI MASCOV *geschichte der teutschen* tomo II. obseruatione XVII. p. 113. sqq.

## §. XIV.

Praeterea velim, notes formulam, qua exarchi pontificis electionem ratam habere soliti sunt, quae legitur in *libro diurno romanorum pontificum*, edito opera IOANNIS GARNERII, capite II. titulo IV. p. 16. sqq.

B

## §. XV.



## §. XV.

Nec ipsi pontifices infitias ire potuerunt, quod reapse sub imperio et dominio caesaris vixerint, praesertim, quod ad urbem romam attinet, prout fatetur Gregorius II. in epistola, quam dedit ad Vrsum, ducem venetiarum. Compara NATALEM ALEXANDRUM in *historia ecclesiastica veteris nouique testamenti* tomo IV. seculo IV. dissertatione XXV. propositione IV. p. 314. Demonstravit quoque IO. GEORGIUS AB ECKHART in *commentariis de rebus franciae orientalis* tomo II. p. 236. sq. quod pontifices obnoxii fuerint caesari, atque eius iudicio, quod ad secularia attinet, paruerint. Eam ob causam caesarem, venientem, adoraverunt, teste eodem loc. cit. p. 4. ac annos imperatoris in litteris suis, quas bullas vocant, adhibuerunt, obseruante eodem loc. cit. p. II. 18. 588. et 775.

## §. XVI.

Idcirco quiuis facile causam inuenire poterit, cur Paschalis I. anno MDCCCXVII. nuncios ad Ludouicum pium, imperatorem, miserit, pontificem excusaturos, quod pontifica-

tificatum occupauerit, idque insciente caesare; caussabatur enim, quod hoc inuitus egerit.

§. XVII.

Hinc ratio in promptu est, quare pontificem inaugurare nequuerint clerici, nisi praesens esset legatus caesaris. Audias verba iurisiurandi, quo Eugenius II, clerum ac populum romanum Ludouico et Lothario, regibus anno 1000 ccc xxiv. deuinxit: „mitto ego ille - - - et qui electus fuerit, me „consentiente, consecratus pontifex non fiat, „priusquam tale sacramentum faciat in praesentia missi domini imperatoris et populi - - -. Euolue *LVDOVICI ANTONII MVRATORII scriptores rerum italicarum* tomo I. parte II. p. 184. *ANTONII PAGI criticam historico-chronologicam in uniuersos annales ecclesiasticos CAESARIS BARONII*, ad annum 1000 ccc xxv. §. XXIX. et *L. DV MONT corps uniuersel diplomatique du droit des gens* tomo I. p. 8. n. 12.

§. XVIII.

Exemplo Benedicti III. hoc firmat ANASTASIVS l. c. p. 399. Vindicias iuris imperatorii

B 2

torii



torii Paschalis tempore inuenies apud STEPHANVM BALVZIVM in *notis ad Agobardum* p. 122. Simile occasione Sergii II. testantur *annales Bertiniani* ad annum 1000 XLIV. et dn. HENRICVS DE BÜNAV tomo III. *der teutschen kayser und reichs-historie* p. 28. Adde quoque IOANNEM DARTIS p. 145. *operum*.

## §. XIX.

Ioannem XII. pontificem ius circa electionem pontificis confirmasse atque Ottoni I. attribuisse, commemorat IOANNES CABASVTIVS in *notitia ecclesiastica historiae et conciliorum* p. 367. De Henrico III. imperatore idem fatetur ille, quod hic nimirum vindicias egerit hac in parte iuris caesarei, vide p. 387. n. 8. 9. 10. 11. et 12. Quamuis comminiscatur, quod exceptio vis ac metus inualida reddat haec iura. Verum hac ratione nihil validi ageretur inter summos imperantes.

## §. XX.

Quum itaque imperatores romani praecipuo iure circa electionem pontificis sunt gauisi, id quod etiam obseruauit EVERARDVS OTTO in dissertatione *de iure imperatoris*

ris

*vis circa electionem pontificis romani capite II., atque in hodiernum vsque diem sunt aduocati ecclesiae romanae, teste capitulatione Caroli VI. articulo 1.; explorata veritas est, quod ius exclusivae, quo caesar vti potest, sit diuersum ab illo, quod galliae et hispaniae reges interdum exercere solent.*

## §. XXI.

Nititur enim horum exclusiva partim metu schismatis, partim originem suam traxit ex aemulatione, quae inter imperatorem illosque erat, dum cum caesare galli aequo et pari iure viuere summopere contenderunt, atque in horum odium quoque hispaniae reges pares caesari putari voluerunt. Cui accedit, quod hispanos praecipue arcana mouerit ratio, ne facile concederent, eligi pontificem, a quo sibi foret metuendum, propter regnum neapolitanum. Alia inuenies apud GABRIELEM A DARZO, hispanum, in libro *eleganti de voto et iure exclusiuo in conclau.*

## §. XXII.

Hoc ius exclusivae caesar alio tempore exercere nequit, nisi quum vacat solium pontificis,

tificis, et de nouo pontifice designando cogitant purpurati patres, in vaticanum inclusi. Impenso pretio a caesare fit legatio. Siquidem sumtus legationis et itineris, qui cardinalibus germanicis exsoluuntur, numerum 200000. florenorum facile superant.

§. XXIII.

Interim caesar, vt curae cordique habeant salutem ecclesiae cardinales, adhortari hos potest, exemplo Friderici II. caesaris, cuius litteras, grauem increpationem spirantes, hoc de argumento refert ODORICVS RAYNALDVS *annalium ecclesiasticorum* tomo XIII. p. 515. Hodienum imperatores in litteris, quibus cardinalibus significant dolorem, ex morte pontificis perceptum, hortatores sunt, vt salutem ecclesiae probe eurent in deligendo pontifice.

§. XXIV.

Quam primum vero ii, quibus curam harum rerum demandauit imperator, animaduertunt, in medium adferri candidatum, qui alterius regis est fautor, aut, ita est comparatus, vt eius mores displiceant caesari; eo casu



casu hortari solent purpuratos, vt de sententia, talem deligendi, decedant, et simul grauissima eiusmodi electioni inferunt impedimenta.

§. XXV.

Enimvero perquam difficulter ad exclusiuam progredi solet imperator, et, quamdiu alia suppetunt remedia, tamdiu exclusiuam ille non exercet. Vbi vero periculum instat, ibi solemnibus verbis declaratur exclusiuam, vti factum anno cIo Iccc xxi. quum cardinalem Paolucci cardinalis ab Althan rite recusaret nomine caesaris.

§. XXVI.

In conclauis hoc ius exercet caesar augustus per eum cardinalem, cui copiam et facultatem agendi hoc dedit. Atque hic, ne fiat electio cuiusdam candidati, vehementer recusat vel iussu expresse caesareo, vel sub spe rati. Sic quoque cardinalis Bentivoglio intercessit nomine hispaniae regis, anno cIo Iccc xxx., ne cardinalis Imperiali nancisceretur coronam pontificalem, id quod hic rex deinde ratum habuit.

§. XXVII.

§. XXVII.  
 Instituti nostri ratio hic non fert, vt de  
 conclauī multis agamus. Est id locus, in quo  
 cardinales post exequias pontificis defuncti  
 cum personis, quarum auxilio indigent, in-  
 cluduntur, vt ibi nouum deligant pontificem.

§. XXVIII.  
 Cuius purpurato patri adsignatur spatium,  
 quod latum est XVIII. vel XX. pedes, eius-  
 demque longitudinis. In eo praeparantur  
 coenaculum, cubiculum et loca, vbi commo-  
 rantur famulus et contubernales, vulgo con-  
 clauistae. Non nullis placent duae con-  
 tignationes habitationis suae. Quaeuis aedi-  
 cula pariete intergerino, non ex argilla, misto  
 acere, confecto, nec lapidibus aut lateribus  
 exstructo, sed panno distinguitur ab aliis car-  
 dinalium casis.

§. XXIX.  
 Gregorius X. is est, qui, vt cardinales  
 electionis negotium accelerarent, anno cLo  
 ccLXXIV. sanxit, vt in conclaue includeren-  
 tur illi, ac, elapso triduo, pane, vino et aqua  
 eos contentos esse iussit, quam rem fuse enar-  
 rauit

rauit ODORICVS RAYNALDVS tomo XIV.  
*annalium ecclesiasticorum* §. XXIV. sq. p. 224. sqq.  
 Legere poteris ipsam sanctionem inter *sacro-*  
*sancta concilia studio* PHILIPPI LABBE et GA-  
 BRIELIS COSSART edita, tomo XI. parte I.  
 p. 975. et in *actis conciliorum*, quae collegit  
 IOANNES HARDVINVS, tomo VII. col. 706. sq.

## §. XXX.

In eo quidem erat Adrianus V., vt hanc  
 constitutionem mitigaret: verum Nico-  
 laus IV. anno cIo cc LXXXIX. et Coelesti-  
 nus V. anno cIo cc xciv. eandem suo vigo-  
 ri pristino, quod ad inclusionem in conclaue  
 restituerunt. Modum electionis tandem  
 perfecit Gregorius XV. anno cIo lOc XXI.  
 ac Urbanus VIII. eandem sanctionem anno  
 cIo lOc xxv. adprobauit et confirmauit.

## §. XXXI.

Constitutio, de qua dixi, Gregorii XV.  
 prostat tomo III. *magni bullarii romani*, quod  
 LAERTIVS CHERVBINVS et alii collegerunt,  
 p. 444-448. Confirmatio et adprobatio hu-  
 ius sanctionis reperitur tomo v. l. c. p. 93. sq.  
 Adde quoque ea, quae antea constituta de  
 electione pontificis leguntur, et quidem a

C

Symma-



Symmacho canone II. distinctione LXXIX. a Nicolao II. canone I. distinctione XXIII. ab Alexandro III. capite VI. X. *de electione*, a Gregorio X. capite III. X. eodem titulo, a Clemente V. in clementina II. d. t. et a Pio IV. tomo II. *magni bullarii romani* p. 97.

§. XXXII.

Mireris haut dubie, quod conclaue omnis humanae sapientiae, artium quoque occultarum, machinationum et consiliorum callidorum theatrum a non nullis dicatur: quum tamen ipsi cardinales sancte adiurare soleant his verbis: „testor Christum dominum, qui „me iudicaturus est, me eligere, quem secun- „dum deum iudico eligi debere, et quod „idem in accessu praestabo.

§. XXXIII.

Non dubito igitur, fore quosdam, qui non facile ad credendum illud inducentur, quod memoriae prodidit IOAN. GEORGIVS KEYSLER, V. C. in *der neuesten reise* p. 593. : *es ist bekannt, inquit, wie wæhrender pæbſtlichen wahl anno 1700 XXI. der eifer der partheyen so weit gegangen, daß es darüber zum handgemenge, stossen mit füssen, und werfung des dintenfasses gekommen.*

kommen. Davia, Albani, Pamphili und A. sind in alle diese händel vermischet gewesen, und ist kein wunder, daß unter den bedienten des conclavis allezeit einer oder zween chirurgi ernennet werden.

## §. XXXIV.

Ceterum Gregorius XV. hanc formam electioni pontificali praescripsit: *quod si electio huiusmodi aliter celebrata fuerit, quam in conclavi clauso, vel aliter, quam per secreta schedularum suffragia, duarum ex tribus partibus cardinalium in conclavi praesentium, in scrutinio, seu scrutinio et accessu, electi suffragio non computato, vel per viam compromissi, ab omnibus cardinalibus similiter in conclavi praesentibus, nemine dissentiente initi, et ita, ut nemo se ipsum elegerit, vel quasi per inspirationem nullo praecedente de persona speciali tractatu, omnium pariter cardinalium, praesentium in conclavi, communiter nemine itidem dissentiente, per verbum: eligo, intelligibili voce prolatum, aut scripto, si voce non potuerit, expressum, nulla sit,*

## §. XXXV.

E quibus hoc praesertim videtur notandum: quod, si duae tertiae, ut loquuntur, de aliquo consenserint, et observatum sit, quod electus semet ipsum designauerit, tunc electio

fit irrita. Dein absentium cardinalium nulla plane habetur ratio, adeo vt hi suffragia sua ne alteri quidem curanda possint committere, notante EMANVELE GONZALEZ TELLEZ in *commentariis ad decretales* libro I. tit. VI. p. 246.

§. XXXVI.

Mos etiam ita fert, vt peruestigent quidam esculenta, quae perferuntur ad cardinales in conclaue. Sed audias, quaeso! KEYSLE-  
RVM p. 615. l. c. sic commentantem: *die visitation (der speisen) -- aber ist so schlecht, daß ich mir getraue, ein kleines kind, im fall es nicht schrie, ungehindert mit hinein zu bringen. Der gouverneur des conclaus stebet zwar dabey, wenn seine bedienten die kærbe und kisten aufmachen, allein es geschiebet weiter nichts, als daß man nur dasjenige, so oben an lieget, anschauet, und den deckel mit einer reuerenze wieder zumachet.*

§. XXXVII.

Re adhuc integra intercessio fieri debet, ne scilicet persona quaedam, cui fauere nequit caesar, eligatur, vt iam antea monui. Constat enim inter omnes, quod, electione rite peracta, omnis variandi potestas eligentibus fit adempta, vide caput LVIII. *X. de electione et electi potestate.*

§. XXXVIII.

## §. XXXVIII.

Quapropter prius intercedat is, cui in mandatis data est reiiciendi potestas, quam vltima schedula scrutinii fuerit lecta. Quod si caesaris mandatarius hoc tempus neglexit, nae exclusiua nullius erit ponderis. Sin autem id agit, vt, quam primum ipsi vero videtur simile in ipso scrutinii actu, quendam per maiora suffragia lectum iri, cuius mores molesti videntur caesari, missis ambagibus intercedat electioni eiusmodi candidati; tum, hoc rite obseruato, a patribus purpuratis reuerenter colenda erit voluntas caesaris, eiusque mandatarii.

## §. XXXIX.

Enimuero quum is tanquam aduocatus ecclesiae gaudet iure, declarandi aliquem parum idoneum ad pontificatum, irrita foret electio, quae caesaris desiderio refragaretur. Vides itaque, quod is, quem caesar reiicit, pontificalis honoris particeps et compos fieri nequeat.

## §. XL.

Ex dictis manifestum est, quod auctoritas caesaris eo tempore, quo de eligendo pontifice agitur, non sit adeo exigua, vti multi sibi persuadent.

## §. XLI.

## §. XLI.

Mirari interea subit, quomodo fieri queat, vt homines, quos germania aluit, eo audaciae prolabi queant, vt tam inconsulte, quam incaute docere non sint veriti, ea, quae caesares olim egerunt, quum pontifex esset eligendus, vsurpationes fuisse, adeoque vlla iuris specie ac fundamento niti exclusiuam caesaris, tacite negare.

## §. XLII.

Loquatur P. FRANCISCVS SCHMIER *iurisprudentiae canonico-ciuilis* libro I. tractatu III. capite I. §. I. numero 630. sq. p. 301.: *ex quibus omnibus infertur, aut imperatores ius eligendi S. pontificem nunquam habuisse, aut saltem iure, quod habebant, iuste et legitime excidisse, cum suo proprio et magno totius ecclesiae bono, non obstantibus acatholicorum calumniis.* Eadem chorda oberrauit IO. FRANCISCVS BESSEL in *dissertationibus ad ius publicum romano ecclesiasticum* p. 155. eundemque errorem errarunt complures, et similitudine halucinantur adhuc plurimi.

## §. XLIII.

At vero horum hominum philosophia ita videtur esse comparata, vt consona sit dogmati



ti eorum, qui effata Christi ita perturbant et inuertunt, vt malint statuere: denegate caesari, quae sunt caesaris; quum tamen verum sit, quod soluenda sint caesari, quae sunt caesaris, et quae dei deo.

## §. XLIV.

Rectius de hac re iudicauit F. CHRISTIANVS LVPVS, louaniensium quondam professor, parte IV. *operum*, capite V. *dissertationis de regia antistitum nominatione* p. 132. qui, *omnes*, inquit, *a regibus nominatos episcopos nolim de plena intrusione aut diuina offensa damnare.*

## §. XLV.

Coronidis loco obseruandum adhuc erit, quod imperator in vno eodemque conclauis semel iterumque ius exclusivae exercere queat. Quamuis haud negare possim, hoc rarissime fieri, quoniam oratores caesarei aliis remediis vt solent, quibus impediunt, quo minus candidatus potiarur coronae pontificiae, cuius mores molesti sunt caesari. Nusquam tamen restricta legitur potestas imperatoris ratione exclusivae, quippe quae ipsi facultatem tribuit reiiciendi tot candidatos, quot ipsi videntur indigni hoc munere magno aequae ac amplo.

## §. XLVI.

Denique faciam, vt legas litteras Friderici II. caesaris, ad cardinales exaratas, quum designando pontifici moram et tarditatem nimis longam adferrent; mentionem earum inieci supra §. XXIII.:

*Ad*

**A**D vos est hoc verbum filii Effrem male tendentes arcum, et pennis emittentes sagittas turpiter in die belli quasi retrorsum. Ad vos est hoc verbum filii Belial, dispersionis oves. Ad vos est hoc verbum . . . capita non habentia magni iudicis assessores. Ad vos est hoc verbum cardinales obligati, quibus male voluitur orbis. Ad vos est hoc verbum, pro quibus totus mundus obloquitur, nec ego possum loqui quin obloquar, quia de mundo sum licet immundus; propter quod oportet me sentire cum ipso tanquam pars suo toti nec dissona, nec aduersa. Scribentes itaque attendite de dura et inepta manu rudem epistolam exordii dignitate priuatam: lingua mea compressa prius prorupit in verba, quam concipiens ei spiritus delegasset: et sic non expectato superioris imperio minus plene concepta edere festinauit. Habet hoc animus perturbatus, quia plerumque sermonem inconcinnum parit, aliquando abortiuum; communis namque animorum existit conceptio et sermo vulgaris, quod non mediator Dei et hominum Iesus Christus de summo caelo, qui venit ponere pacem in finibus terrae, apostolorum magister et dominus, sed diuisus in se sathanas princeps ille varius sit in medio vestrum tanquam qui ministrat; ille persuasor discordiae spiritus tenebrosus; qui posuit linguas vestras in diuisiones, et in partialitatis articulos vestram disgregare compulit unitatem, dum nec vobis, nec mundo consulitis, qui tot periculis propulsatur, et Petri nauicula, quae per maris altitudines ventorum fluctibus rapitur remis et remige destituta, non est aliquatenus vobis curae; quae quamuis in se submersionem non timeat, in suis tamen multa et varia patitur naufragia tempestatum. Sane si diligenter attenditis qualiter nationes et gentes, quas iudicare soletis, contra vos derisorie moueant capita sua, in se vnusquisque palleret, et ad tam publicum et detestandum opprobrium propulsandum nunquam inueniri posset necessarium argumentum: quia dum quilibet vestrum aspirat ad cathedram, vnus non consentit in alium, et dum alter in alterum non consentit, nullus eligitur, cathedralis dignitas euanescit, et sic ex disconuenientia vestra conueniens ecclesiae status confunditur, et fidei, qua viuitis, deperit rectitudo, cet. Anno dno CC XLII.





TESTIMONIA  
CATHOLICORVM  
DE  
IVRIBVS CAESARIS AVGVSTI  
CIRCA ELECTIONEM PONTIFICIS  
ROMANI.

---

§. XLVII.

**I**OANNES GARNERIVS, presbyter e socie-  
tate Iesu, qui parisiis anno c<sup>o</sup> l<sup>o</sup> c<sup>o</sup> lxxx.  
edidit *librum diurnum romanorum pontificum*  
*ex antiquissimo codice manuscripto*, in argumento  
capitis ii. sexto, ait, septimoque, et octauo  
saeculo, in ordinatione summi pontificis haec  
obseruabantur: I. vbi primum summus pon-  
tifex excesserat vita, nuntius ad exarchum  
mittebatur ab iis, qui sedis apostolicae vicem  
seruabant. II. Post iusta defuncto persoluta,  
indictumque tridui ieiunium, eligebatur pon-  
tifex, conuenientibus cleri, optimatum et  
populi votis, decretumque condebatur, quod

D

ab

ab eligentibus subscriberetur. III. De electione mox referebatur ad principem, id est, constantinopolitanum imperatorem, postulabaturque electionis approbatio. IV. Referebatur etiam ad exarchum rauennae, cum precibus, vt electionem vel nomine principis confirmaret, vel confirmandam curaret. V. Scribebatur pariter ad iudices, archiepiscopum et apocrisarium rauennae, et, vt certum videtur, ad patricium, antistitem, et apocrisarium constantinopolis, a paribus. VI. Accepta confirmatione, electus solemniter deducebatur ad confessionem sancti Petri.

## §. XLVIII.

Deinde in nota z. ad capitis II. titulum r. ita commentatur: qua in inscriptione nota, Ioannem, licet electum romanum pontificem, secundo tamen post archipresbyterum loco inscribi; vnde quatuor constant: primum, electo nihil fuisse iuris ad res gerendas, donec ordinaretur - - Postremum, tunc electum in litteris non se pontificem romanum inscripsisse, sed electum.

## §. XLIX.

## §. XLIX.

LVDOVICVS MAIMBURG dans *l'histoire du pontificat de S. Gregoire le grand* libro i. p. 9. sq. L'élection d'un pape ne pouvoit avoir son effet en ce temps-là, si l'empereur n'y avoit consenti, avant qu'elle se fît, du moins s'il n'en approuvoit le decret qu'on étoit obligé de lui envoyer avant que l'elû prît possession du pontificat, et fût consacré, ce qu'on ne pouvoit faire sans le consentement des empereurs. Car ces princes, particulièrement depuis qu'on eût reconquis l'italie et l'afrique sur les goths, et sur les vandales, crurent avoir droit d'empêcher qu'on n'élevât sur le trône pontifical, un sujet qui leur fût suspect, et qui pût brouiller dans l'empire; outre qu'ils étoient fort persuadés que le peuple ayant eu part de toute ancienneté en cette election des papes, il étoit bien juste qu'elle ne se fît point sans leur consentement, puis qu'ils avoient du moins autant de pouvoir et de droit que le peuple dont ils étoient les maîtres. Quoi qu'il en soit il est certain que les empereurs étoient alors en possession de ce droit, et qu'ils s'y maintinrent encore fort

D 2

paisible-

paiblement, avec plus ou moins d'autorité selon leurs differens genies, plus de six cens ans après, jusqu'à ce que Gregoire VII. qui avoit demandé et obtenu de Henri IV. confirmation de son election, avant qu'il fût intronisé et reconnu pour pape, entreprit de le dépouïller de ce droit; dans les autres eglises. Ce qui causa ces schismes et ces guerres qui desolerent l'empire et l'eglise. S. Gregoire donc scachant bien que son election ne tiendrait pas, si l'empereur n'y donnoit son consentement, et ne la confirmoit, lui écrivit des lettres très-pessantes, par lesquelles, après lui avoir allegué plusieurs raisons, tirées particulièrement de ses grandes et continuelles infirmités, qui le rendoient incapable de s'acquiter comme il falloit d'une si grande charge, il le conjure de ne pas confirmer son election, et d'ordonner qu'on en fasse promptement une autre d'un sujet qui eût plus de capacité, de force et de santé qu'il n'en avoit. Et cependant pour satisfaire à l'ordre et à la coûtume qui vouloit en ce temps-là qu'en attendant la réponse de l'empereur.

§. L.



§. L.

F. CHRISTIANVS LVPVS, ordinis Heremitarum S. Augustini, sacrae theologiae in alma louaniensi doctor ac regius primarius professor, tomo IV. *operum in tertia prooemiali dissertatione de regia antistitum nominatione cap. I. p. 121.*: circa eligendum, ait, regiae ciuitatis episcopum aut patriarcham constantinopolitanis imperatoribus aliquid iuris romana ecclesia semper indulfit. Diserte hoc in litteris ad imperatorem Mauritium supra professus fuit magnus Gregorius. Et in litteris ad imperatorem Michaelem tertium scripsit Nicolaus primus: *consuetudinem vestram nouimus, in regia vrbe minime apicem archicraticae potestatis aliquem posse habere sine ecclesiasticae plebis consensu, atque imperiali suffragio.* Antiquissima est ista consuetudo. Quod enim in sancti Gregorii Nazianzeni constantinopolitanam cathedram constantinopolitana synodus varios elegerit, magnoque principi Theodosio, qui Nectarium designauit, praesentarit, scribunt Socrates, Theodoretus, ac Hermias Zozomenus. Principis, ne ingratum quotidie ante oculos pati cogeretur episcopum,

D 3

hono-



honoris id patres detulerunt. Quin et idem detulerunt in omnium patriarcharum electionibus. Quod et Alexandrini et Antiocheni electioni se miscuerint optimi imperatores Martianus et Leo, lucet ex epistolis magni papae Leonis, ex Liberati carthagenensis diaconi breuiario, et aliis vetustis scriptoribus. Et quidem laudatos principes, vt dictis electionibus dirigendis inuigilarent, laudatus Leo monuit et rogauit. Et antiochenae dioeceseos episcopis et clericis, nouam patriarchae pro degradato Macario electionem postulantibus, respondit sexta synodus: *sug-  
gestimus a deo instructis auribus fortissimi et a deo  
coronati nostri imperatoris. Et iussit eius serenitas decretum secundum consequentiam, seu anti-  
quam consuetudinem, fieri a reuerendissimis  
episcopis et clericis suprascriptae sedis, et hoc offerri  
eius mansuetissimae fortitudini.* Vtique confir-  
mandum. Quod etiam primae Iustinianae episcopus, ad Iustiniani Augusti preces per Vigilium pontificem exaltatus in aliquot prouinciarum primatem, a principe confirmationem et accipiendae consecrationis facultatem accipere debuerit, demonstrant litte-  
rae



rae magni Gregorii ad Ioannem istic episcopum et subiectos ipsi collegas. Haec LVPVS.

§. LI.

Eum in finem pontifex romanus aduenientem imperatorem cum cleri sui processione ad sancti Petri gradus expectare solebat, teste eodem tomo III. *operum* p. 286. Processio autem cleri subiectionis signum fuisse, perhibet FRANCISCVS BOSQVET in *notis ad Innocentii III. epistolas* p. 199. sq. Verum perspicua et dilucida est facta haec imperatorum praerogatiua ex antecedentibus.

§. LII.

Ius eligendi pontificem Carolo magno concessum fuisse, certum est. Vide IOANNEM MABILLON *musci italici* tomo II. p. 113. CAROLVS SIGONIVS quidem *historiarum de regno italiae* ad annum 1000 LXXIV. libro III. p. 163. editionis bononiensis, nescio qua fide, statuit, hoc ius competiuisse Carolo imperatori; sed hunc ea eminentia uti noluisse. Hoc ius legendi pontificis, inquit, Carolus romanis, eximia moderatione animi vsus, remisit, eosque comitia antiqua ratione per clerum popu-

populumque habere, modo sine tumultu ambituque, concessit. Attamen hanc narrationem vix vero esse similem, ex iis, quae sequuntur, testimoniis patebit.

## §. LIII.

Etenim ANNALES LAVRISHEIMENSES ad annum **IO CCC XXVII.** et AUCTOR *vitae Ludouici pii* p. 387. memoriae prodiderunt, quod Gregorius IV. pontifex non sine consensu expresso imperatoris, Ludouici pii, fuerit electus.

## §. LIV.

Eadem praerogatiua circa electionem pontificalem gauisus est Lotharius I. imperator, teste ANASTASIO in *vita Leonis IV.* p. 258.: Romanos noui electione pontificis congaudentes, coepisse iterum non mediocriter contristari, eo quod sine imperiali non audebant auctoritate futurum consecrare pontificem. Sed timore (Saracenorum) et futuro casu perterritos, Leonem sine permissu principis praesidem consecrauisse.

## §. LV.

De Benedicti III. electione audias eundem ANASTASIVM p. 295.: clerum et cunctos

ctos proceres decretum (electionis) componentes, propriis manibus roborauisse, et, consuetudo prisca vt poscit, inuictissimis Lothario ac Ludouico destinauisse augustis. Item p. 300.: Benedictum in conspectu omnium, imperialibus missis cernentibus, in apostolica sede, vt mos est, et antiqua traditio dicit, consecratum ordinatumque esse pontificem.

## §. LV.

Operae pretium quoque videtur hic repetere verba decreti synodi rauennatensis, quae leguntur apud CAROLVM SIGONIVM l. c. libro VI. p. 266. ad annum MDCCCXCVIII.: quia sancta romana ecclesia, moriente pontifice, multas patitur violentias, quod insciente imperatore, aut legatis eius absentibus, pontifex consecretur, neque canonico ritu missi ab imperatore intersint nuncii, qui vim et scandala in eius consecratione prohibeant, volumus, vt posthac pontifex, conuenientibus episcopis, et vniuerso clero, senatu, et populo expetente, legatur, atque ita in conspectu omnium celeberrime electus ab omnibus, praesentibus legatis imperatoris, consecretur.

E

DE

---

DE  
**IVRE EXCLUSIVAE**  
 UT VOCANT  
 HISPANIAE REGIS.

---

## §. LVI.

**T**ANTA Philippi II., hispaniae regis, apud summum pontificem senatumque purpuratum romanum erat auctoritas, ac eiusdem principis nomen, tanquam statoris et vindicis rerum pontificiarum, tanti erat apud cunctos ecclesiasticos ponderis atque momenti; ut, quidquid etiam rex iste vellet, nec hi attollere oculos, nec contra hiscere auderent. Scripserat autem CAESAR BARONIVS annales ecclesiasticos, et eorum tomo vndecimo mandauerat aliqua, quibus refellerat monarchiam siciliae in sacris. Id quod aegerrime tulerat Philippus II., atque, narrante IACOBO AVGVSTO THVANO *historiarum sui temporis* tomo III. libro CXXXIV. p. 1079. ad annum MDLCCV., iusserat, et poena sanxerat, ne tomus vndecimus cum aliis antuerpiae recuderetur. Immo venditione  
 ne

ne exemplarium, quae romano prelo fuerant excusa, in prouinciis suis interdixerat bibliopolis, adeo vt duo eorum, qui eundem tommum venalem proposuerant, non solum ad triremes fuerint damnati, sed etiam re ipsa ad remum sint dati.

## §. LVII.

Nunc claris argumentis signisque lucet, cur hispaniarum rex, Philippus II. eandem in clausis purpuratorum patrum comitiis anno cIo Ioc v. sibi sumserit praerogatiuam circa exclusiuam, ceu adpellant, qua saltem parens eius, Carolus V., tanquam imperator, vti potuisset.

## §. LVIII.

Quid autem egerit Philippus II., et quomodo hic primus inter hispaniae reges exclusivae iure sit vsus, faciam, vt id discas e perspicua et aperta narratione IACOBI AVGVSTI THVANI, qui l. c. tomo III. libro CXXXIV. p. 1078. in enumeratione huius rei sic est versatus: Clemente mortuo, post nouendiale sacrum peractum, itum est in conclaue, pridie eid. mart. et LX. cardinales in eo numerati sunt. Antequam conclaue ingrederentur,

E 2

rentur,

rentur, hispanienses veriti, ne Caesar Baro-  
nius cardinalis, nobilis ecclesiasticorum anna-  
lium scriptor in pontificem deligeretur, con-  
tra ipsum querimoniam quasi iam Clemente  
superstite institutam renouauerant, supposi-  
tis Laurentii Suarezii Figeroae Ferae ducis  
siciliae proregis litteris, a Ptolomaeo Gallo  
cardinali comensi collegii decano in congrega-  
tione allatis, et a Francisco Mexica Auila  
hispano cardinali, quia vernacula lingua  
scriptae erant, recitatis, quibus lectis, Baro-  
nius, qui aderat, non mediocriter excanduit,  
et centonibus e sacra scriptura more suo pe-  
titis, statim respondit: et melius est, inquit,  
mihi mori, quam vt euacuetur gloria mea.  
Tum multa subiecit de suis annalibus, deque  
utilitate, quae ex iis ad vniuersam rem chri-  
stianam redundabat, idque concordibus di-  
uersarum nationum votis comprobauit, et  
ipsorum haeticorum testimoniis, excusato,  
quod in causa propria tam magnifice de se  
loqueretur. *Ignoscite, illustrissimi domini mei, in-  
sapiens loquor, sed vos me coegistis.* Tum erectis  
in coelum oculis, *Deus meam laudem ne tacueris,  
inquit, quoniam os peccatoris et os dolosi apertum est  
super*

*super me, quippe cum haec accusatio non tam in me et meos annaleis directa sit, quam aduersus ipsum pontificem, et sanctae sedis maiestatem, qui eos vidit, et cunctis cardinalibus examinandos praebuit. Petrus vidit, Petrus approbavit. Huic petrae atque adeo rupi innixum minime vereri, ne concuti aut loco moueri possit. Quae tanta vehementia et orationis fluxu ab eo dicta, ut adstanteis in sui admirationem raperet; a multisque creditum fuit, si haec actio in tempus incidisset, quo se postea patres conclauis incluserunt, procul dubio futurum, ut vniuersi paucis obstantibus ipsum e cella sua raptum ad thronum et adorationis locum continuo stitissent. Cum autem in dubium litterae reuocarentur, a Benedicto Iustiniano cardinali, is qui pontificalium litterarum notis incognitis exaratarum scrinium asseruabat, ad fidem faciendam vocatus est, qui, cum se eas nunquam habuisse aut vidisse coram religiose affirmaret, vanitas earum omnino explosa est, relanguescente interim per moram interpositae subitae beniuolentiae impetu, et inualefcente odii fomite, quo et effectum, ut hispanienses omnia sibi summa facienda ducerent,*

rent, quo suspectum antea sibi hominem, et nunc post calumniam merito irritatum a principis dignitatis prensatione excluderent, quod et strenue fecerunt. Querimonia autem ex eo nata, quod Baronius XI. annalium tomo scripserat, ius, quod reges in siciliae monarchia sibi vindicant, falsi suspectis testimoniis niti, eaque re magnam Philippo iniuriam factam, hispanienses clamitabant. Cardinalibus intra conclauae inclusis, hispanienses Antonium Saulium genuensem vrgebant, qui odio eorum reiectus est, cum alioqui se moribus et vitae sanctimonia satis commendaret. Roberto deinde Bellarmino a factione Aldobrandina proposito, Montaltana factio secundum Aldobrandinam praepotens, aemulatione aduersabatur. Tum repositus Baronius, in cuius reiectione toto conclauae ab Auila et Ascanio Columna hispaniensibus laboratum est. Media hispaniensi opposita in aestu comitiorum creuit francica, cuius princeps erat et dignitate et meritis Franciscus a Iouisa, vir mitis ingenii, et felix in negotiis tractandis prudentiae, qui inter Aldobrandinos et Montaltanos arbitrium sibi sumserat, et



et vtri parti accessisset, superiorem reddebat. Itaque cum neutra alteri cedere vellet, ita res inter eos, Francisco a Iouisa arbitro, composita, vt, de quo inter eos conuenisset, modo francis probaretur, in eum concordibus votis vniuersi consentirent, qui plus duobus quadrantibus procul dubio efficiebant, nostri Baronium, vt hispanienses Saulium, ad pontificatum promouebant; verum ipse, qui suam causam tam animose nuper defenderat, sibi obstare videbatur, dum nolle prae se fert, et se longi aevi profapia prognatum passim prensantibus iactitat, quod in electionibus maxime pensitatur: nam nihil magis in votis habent populus in vrbe, et cardinales in conclau, quam vt breuis aevi pontifex creetur, dum hi ad illud fastigium adspirant, et crebra mutatione in spem eius adipiscendi eriguntur; populus autem, qui aedium direptionibus gaudet, cum aliquis e collegio per urbem plerumque falso pontifex renuntiatur, id cottidie euenire exoptat. Inter has contentiones, cum Baronius ab hispaniensibus excluderetur, Iouisa Alexandrum Medicem cardinalem florentinum vtrique factioni non  
ingra-

ingratum futurum proposuit, eumque continuo in cella sua adit, et ipsum pontificem renuntiat, continuoque eductum in sella collocat, et caeteris ad adorationem praeit, quem Aldobrandinus et caeteri magno consensu sequuti sunt, solo Auila renitente, et frustra obtestante, quippe qui multa contra illam electionem vt vitio factam se habere diceret. Haec THVANVS.

## §. LIX.

Iam facile comprehensu est, quae fides sit tribuenda GABRIELI BARTHOLOMAEO GRAMONDO libro I. *historiarum galliae* p. 10., vbi, dum res gestas anni MDCCX. enarrat, eodem, inquit, anno prodiit cardinalis BARONII tomus annalium vndecimus, in quo hispaniae regibus negat esse in siciliam iura, qualia possident. Proscribitur edicto regis catholici opus, ipseque auctor non multo post, factione hispana excluditur a prima sede, ad quam virtute et suffragiis vocabatur. Haec ille.

## §. LX.

Non paruam GRAMONDO fidem habuit, eiusque ideo vestigiis institit IOANNES FRIDERICVS

DERICVS MAYER, *de electione romani pontificis* agens, p. 121. ac, quemadmodum ille per errorem lapsus est, ita etiam hic hac in re peccauit.

§. LXI.

Verum enim vero, BARONII annalibus diuulgatis, vix aliquot anni intercesserant, quum anno cIo Ioc v. auctoritate sua, seu potius machinatione ac consilio callido Philippus II. impediret, quo minus corona pontificia potiretur CAESAR BARONIVS. Et mors, quae hunc senatui purpurato eripuit, iam iam aduentauerat sub finem iunii anno cIo Ioc vii. Edictum vero hispaniae regis, quo solemniter proscripserat tomum vndecimum annalium ecclesiasticorum, datum est in fano sancti Laurentii V. non. octobris anno cIo Ioc x, ac legitur apud IACOBVM AVGVSTVM THVANVM in *historiarum sui temporis continuatione*, siue tomo IV. libro III. p. 121-123. Est illud edictum regium, supra quam dici potest, durum, asperum, acerbum atque seuerum. Nihilo tamen secius Paullus V. pontifex non ausus fuit ad istud respondere, multo minus hiscere, etiamsi antehac ponti-

F

fices

fices ob causas longe minoris momenti, dirarum obnunciatione facta, execratione de-  
uincire solebant reges.

§. LXII.

Recte interea egit ANDREAS CAROLVS  
tomo I. *memorabilium ecclesiasticorum saeculi a na-  
to Christi decimi septimi* p. 103. quod hispaniae  
regem obstitisse affirmet, quo minus CAESAR  
BARONIVS designatus fuerit pontifex. Ha-  
lucinatus est contra HIERONYMVS BARNABEVS,  
qui, de occultis artibus Philippi II.  
silens, capite VIII. *vitae Caes. Baronii* p. 115. sqq.  
multis verborum ambagibus docere conten-  
dit, quod BARONIVS a pontificatu adpeten-  
do quam maxime fuerit alienus. Quin im-  
mo PAVLLVS FREHERVS in *theatro virorum  
eruditione clarorum* parte I. sectione II. p. 69.  
commentus est, BARONIVM, effusis ad coe-  
lum votis, propensum in se cardinalium ad-  
fectum retardauisse. Refert autem is, quem  
dixi BARNABEVS, inuidia Petri Aldobran-  
dini cardinalis, apud quem arbitrium eligen-  
di pontificis steterit, factum esse, ne BARO-  
NIVS sit adeptus summum pontificis hono-  
rem. Addit tamen demum p. 117. haec:  
deinde,

deinde, ait, Clemente pontifice defuncto, cum cardinales omnes quadam die, vt mos est, in vnum conuenissent, lecta est epistola, quam a prorege siciliae ad sacrum purpuratum collegium transmissam dicebant, reuera tamen fictam et commentitiam esse deprehensum fuit; vbi multae aduersus BARONIVM querelae, quod scilicet contra hispaniae regem vehementius, quam par erat, inueheretur: quod minus dignos viro ecclesiastico seueritatis aculeos in optimos principes emitteret: quod demum quaecunque aduersus siculam monarchiam afferebat, non aliunde, quam ex gallorum manibus accepisset. Haec HIERONYMVS ille BARONABEVS.

§. LXIII.

Ast Philippus II. machinatione sua re ipsa recusauit BARONIVM, quo minus dignitatem pontificis consecutus sit, id quod exploratae veritatis est. Nam vix dum Clemens VIII. pontifex e vita migrauerat, quum per urbem totam fama percrebesceret, BARONIVM certissime pontificem renunciatum iri. Nec vero leuis duntaxat populi sermone res nitebatur, sed magno tum cardinalium, tum etiam procerum europae consensu firmabatur.

§. LXIV.

Nunc quilibet facile adsequi et cogitatione comprehendere potest, cur CAESAR BARONIVS non raro grauiter deplorauerit ac detestatus sit, quod electioni romani pontificis immiscere se aliquando saeculares principes, vt loquebatur, ausi fuerint.

F 2

§. LXV.



## §. LXV.

Hinc mirum non est, quod casum suum futurum prospexerit et mente auguratus sit, ac idem tomo vndecimo annalium ita scripserit: ob id, ait, declamavi saepius, et exclamare non desinam, et commonere praesentes, et post futuros fratres meos S. R. E. cardinales, ut pro viribus ad sanguinem usque certare laborent, quo omnem principibus aditum ad electionem romanorum pontificum obstruant; quum nihil hoc funestius pati romana ecclesia consueverit, et pluribus summo ipsius damno contigerit demonstrari, quum eos non principes adiutores, sed tyrannos persecutores in electione pontificum est experta. Quid potuit romanae ecclesiae durius ac luctuosius contigisse, quam, ut qui tyrannide lupi sunt, de pastore creando decernant et curent? quorum illud vnum studium sit, ut praeficiatur ouibus pastor ignauus, quo ipsis liberum sit, quum velint, in oves irrumperere? nunquam audiatur amplius tyrannis ista in ecclesia dei, ut pontificem cogatur accipere a principibus. Haec CAESAR.

## §. LXVI.

Quae quidem alibi etiam haud semel intonuisse vocem BARONII principibus perniciosam, auctor est HIERONYMVS BARNABEVVS loc. cit. p. 183. 184., quem praeconem dictorum factorumque suorum inuenit, quem modo dixi, vir sacri ordinis purpurati.



155053


8

AB 155053

Kl 468 nd







18

II ESTOR  
R. ORD. TRIBVNALIS SERENISS.  
MENAE EST FAC. ICTORVM  
OLLEGII ASSESSORIS

N TATIO  
E  
CLUSIVAE  
ELLANT  
O  
AVGVSTVS  
PATRES PVRPVRATI  
NTIFICE SVNT  
PATI.



A E  
RITTERIANA  
CC XXXX.

B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Inches  
Centimetres